



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia
Sacra Et Hvmana Libri XVI**

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

Mores plebis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70090)

Imber hic iuuenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis, canibusque, & aprici gramine
campi.

Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Vtilium tardus promissor, prodigus aris,

Sublimis, cupidusque, & amata relinquere
pernix:

Conuersis studijs atas, animusque virilis
Quærit opes, & amicitias: inseruit honori:

Commisisse cauet, quod mox mutare labore:

Multa senem circumueniunt incommoda: vel
quod

Quærit, & inuentis miser abstinet, & timet
uti,

Vel quod res omnes timide, gelideque mini-
strat,

Dilatator, spe longus, iners, auisusque futuri:

Difficilis, querulus, laudator temporis acti,
Se puero, Censor, Castigatorque minorum.

Et hæc quidem aurea, Aristotelisque, & Ho-
ratiij digna iudicio: sed tamen ingenia ple-
runque in consuetudine, & vitæ ratione, at-
que institutis ita mutantur, vt inueniantur
senes pueri, & pueri senes: Hoc erit prudentis
oratoris animaduertere. Ex ijs, quæ dicta sunt
colliges, vt plurimum iuuenum animos ille-
cebra gloriæ titillandos, temperandum ali-
quando in eorum leuioribus vitijs, expectan-
dum tantisper donec iracundiæ, & cupiditates
deseruecant, nihil cum cupidis agi, defecatis
emotionibus animi, omnia futura remissiora,
contra torrentem non esse luctandum. At si
indomitæ libidines fuerint, & maior in dies
audacia, præcipuè in agrestibus animis, vt non
modo temporis longinquitate non mitescat,
sed obfirmatæ malitiæ incrementis serpat la-
tius: efficiendum, vt qui lenitatem contem-
plerunt, seueritatis aculeos sentiant. Solent en-
nim simillima ingenia, vt muscæ aceto, sic se-
ueritate excitari, aut ad exemplum aliorum
frangi, si modo curuari non possunt. Apud
senes maximè spectanda erit vtilitas, pecuniæ,
prædiorum, opulentia, & omnium commo-
dorum ad vitam accessio. Apud viros, vt
ipsi rationem audiunt, oratio erit
ex honestate, & vtilita-
te temperan-
da.



Mores secundum conditionem.

CAPVT IV.

Nobiles omnino sunt honoris cupidi, *Nobilium mores.*
ita enim compositum est hominum
ingenium, vt ea, quæ habent, studio-
sius quærant, & accumulent: At nobilitas est
digaitas quædam, & honor maiorum, quo
fit, vt alium, atque alium, honorem
semper appetant. Idem quoque facile con-
temnunt, sunt enim fastidiosi stomachi. Diui-
tes sunt sæpè contumaces, contumeliosi, deli-
cati, mollitrem, & felicitatis ostentationem ar-
rogantes, apud quos difficile est agere, nisi tor-
rens fortunæ virtute reprimatur. Sed licet apud
Theophrastum videre elegantissimos harum
personarum characteres.

Mores plebis.

Mores plebis describunt summi artifices,
Plato, Salust. Cornelius Tacitus, Seneca, Xe-
nophon.

Platoni dicitur, bellua multorum capitem.
ἄξιον πολυκέφαλον.

Xenophonti *ἀχόρειον, ἄμην, ἐδάχανον,*
ἀπώδευτον, multitudine, inquit, ingrata, crude-
lis, infida, imperita.

Cornelius ait, vulgi sunt impigræ linguæ,
ignauæ animi.

Liuius, priuata cuique stimulatio, vile de-
cus publicum.

Salustius, multitudo vulgi magis more,
quàm iudicio, post alium alius, quasi pruden-
tiorum sequitur.

Item. Natura inuidum vulgus ægris oculis
alienam felicitatem intuetur.

Ingenio est mobili seditiosum, atque dis-
cordiosum, cupidum nouarum rerum, quieti,
& otio aduersum, aut seriat humilium, aut su-
perbè dominatur: Hæc, & alia Lipsius. Apud
huiusmodi homines, nisi prius bonis moribus
excolantur, difficillima est omnino oratio, vbi
nulla ratio: Itaque in istis, & similibus satius
conticescere, quàm sine fructu, & sæpe cum
maximo periculo verba facere. Tentanda sunt
etiam nonnunquam remedia seueriora, vbi
minime profunt lenia. Sed hæctenus de mori-
bus personæ.

Iam in deliberatiuo genere spectandus se-
quitur post efficientem finis, & is, honestas

Gggg 2 cum

cum utilitate coniuncta, omnis autem honestas cum virtute posita est.

De honesto.

Virtus est animi habitus, laudabiles eos efficiens, in quibus est: cuius quatuor sunt fontes, Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Temperantia, de quibus in demonstratio genere dictum est.

Nunc quo modo ex partibus antea enumeratis, orator elicere possit argumenta ad rem suadendam, vel dissadendam, ostendemus, si rem secundum iustitiam probare velit.

*Honesti
ratio qua-
modo tra-
handa.*

Primum demonstrabit, eam diuino cultui consentaneam, summo numini gratam, & acceptam.

Secundò patrum institutis, & legibus, consuetudinibus maxime conuenire: parentum, affinium, ciuium charitatem inter se consistere.

Tertiò spectare ad referendam gratiam, quo nullum officium magis necessarium est.

Quartò improborum audaciam reprimere, bonis signum ad bene sperandum proferre.

Quintò disciplinam, & modestiam ciuitatis, hoc maxime factò contineri.

Postremò nefas esse fidem violare, officium negligere, ignominiosam perfidiæ notam subire, seruandam cum hostibus fidem, necessitudinem cum clientibus retinendam, deinde religiose obseruandum, vetus dictum. *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.*

Vt rem honestam esse secundum fortitudinem planum faciat orator, in primis magnam esse ostendet, quæ non vile habeat virtutis experimentum.

Secundò, pro honesta causa non modo subeundos, sed vltro etiam appetendos, esse labores.

Tertiò, mortem quavis turpitudine iucundiorē esse.

Quartò, virum non esse, qui propter dolorem ab officio, fortitudine, & honestate recedit.

Quintò, pro veritate, & sua, suorumq; sed potissimum pro Dei gloria nullas inimicitias formidandas, nulla tormenta recusanda.

Temperantia vberem suafori, & dissuafori materiam suppeditabit, cum ostendet, quam magnum, quam regium, quam diuinum sit libidinem coercere, vota immodica, & cupi-

ditates non admittere, volitantem vanæ laudis cupiditate animum cohibere: eundem crudelitate incitatum, ratione compefcere, victis ignoscere, iacentes erigere, denique in summa dignitate, & rerum potentia tenere modum.

Prudentia per cætera sparsa virtutes efficiet, vt orator aduocet in consilium præteritas, memoria duce, & comite experientia, consideret præsentēs, consulat peritos, bonosque consiliarios, se ipsum excitet, & acuat ad bene coniiciendum, ratiocinetur, prouideat, circumspectat locum, tempus, facta, personas, prospiciat difficultates, & mature adhibeat remedium.

Hæc ad prudentiam: quæ secus fiunt, contra prudentiam fiunt.

De vtili.

CAPVT V.

Vtilitatis duæ sunt partes. Prima incolumitas, altera felicitas. Proponet igitur prudens orator malorum fugam, eo enim argumento maxime afficiuntur auditores, nec vilius est adeo sui negligens, qui non statim cogitet, quo pacto se à periculo expedire, & salutem consequi possit. Felicitas omnes vtilitates complectitur, quæ humanam vitam exhilarant, sub ea continentur artes, nobilitas, gloria, amicitia, pulchritudo, robur, valetudo, omnia denique commoda, quæ tanti faciunt mortales, vt ad ea pene sola aures arrigant, cætera perfunctoriè, & oscitantur audiant.

De necessario, facili, iucundo.

CAPVT VI.

Omnia porro argumenta facillè obruit necessarium: Nã, & si vtilitates, quam speciosissimæ ostendantur, inveniuntur tamen adeo segnes animæ, quæ non facile commoueantur, maxime si quid exhauriendum est in negotio laboris. At vbi necessitas rei obeundæ clarissimè ostenditur, qualis est, salus